

1675.

1. Alberti, Valentinus : De fortuna clarorum beli ducum,
sunt finem militiae plerumque aduersa.
2. Alberti, Valentinus : De politico
3. Alberti, Valent : De immoratib[us] re publicae.
4. Alberti, Valent. : De Fidei[bus] forti, sine admixto.
5. Bonius, Jacobus : De expectativis
6. Bonius, Jacobus : De actione in factum pro re-
linenda possessione praesentia competente.
7. Corpzonius, Aug. Boned. : De iudicio Imperatoris
extraordinario 2 Grav[er] 1675 - 1719.
8. Corpzonius, Aug. Boned : De restitutione in integrum
minoram.
9. Corpzonius, Aug. Boned : Analysis I. habitationibus
20 p. de pactis
10. Lichten Jakobus Christianus : De emphytentiae meliorationibus
11. Engelmann, Iacobus Fr[ed] : De arte syllogistica

- 1675
12. Mmullerus, Michael: *Valentiniensis infantile* 23.
13. Geistern, Fr. : *De legitimatione*
- 14^a, ^b, ^c Geistern, Fr. : *De auctorice confessoria* - 2 Bandt. 24.
- 1675 - 1743. Accedit. 84. 1743: *Triduum*, 25.
*Mesnerus: De affectu boni, cordati, fidelis ac
Christianus ministeri*
16. Geistern, Fridericu: *De privilegiis notariorum*. 26.
- 16^a, ^b, ^c Maelius, Fridericu Tolias: *De iure Pontis* 27.
Pilatis judicio 3 Bandt 1675, 1724, 1737. 28.
17. Platz, Abram. Christph: *De concubis baronum*.
18. Reichenberg, Adamus: *De regnorum conjunctione* 29.
19. Romanus, Paulus Franciscus: *De jure dominii restricto*. 30.
20. Romanus, Paulus Franciscus: *De salvo conducta*. 31.
21. Schenckendorffius, Bartholomeus Leontardus: *De mi- 32.
stegio*
22. Schenckendorffius, Barthol. Leontardus: *De concusione*.

1675

23. Schrenckendorffus, Bartholomaeus Leonhardus: De jure
mento purgatorio
24. Schrenckendorffus, Barth. Leonhardus: De pecunio
25. Schrenckendorffus, Barth. Leonhardus: De contracta
aestimatrix
26. Schrenckendorffus, Barth. Leonhardus: De privilegiis
27. Schrenckendorffus, Barth. Leonhardus: De retenzione
28. Schrenckendorffus, Barth. Leonhardus: De exceptione
non numeratae pecuniae.
29. Schrenckendorffus, Barth. Leonhardus: De solutione
30. Tellius, Romanus: De fundo pluribus promisso cum
explicatione p. quodius 15. C. de rei vind.
31. Thomarius, Lazarus: De vagantibus scholasticis
32. Zabel, Erasmus: De elementis, virtutibus operatoris

18,

22

Pra. 36 num. 17

1675, 16^a

18

B. C. D.

DISPUTATIO JURIDICA
D.

IN JUSTO
PONTII PILATI
JUDICIO,

Consentiente Magnifico JCtorum
Ordine

P R A E S I D E

DN. FRIDERICO TOBIA MOEBIO,
Phil. & J. U. D. Curiæ Electoralis ac Ducalis
supremæ Advocato Ordinario,

Dn. Patrono atqve Fautore
obsvrvanter colendo,

P. P.

CHRISTIANUS THOMASIUS,
Lipsiens. Phil. M.

A U T O R

Ad d. XXV. Nov. M DC LXXV.
H. L. Q. 6.

LIPSIÆ
Literis JOHANNIS GEORGI.

19



MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORI
VIRO

Maxime Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo
DN. FRIDERICO RAPPOLTO, SS. TH. D.
& Professori Publico, Alumnorum Electoralium E-
phoro, Canonico Cizenfi, Majoris Principii Collegii Col-
legiato, & Nationis Misnica Seniori.

Ut et

VIRIS

Nobilissimis, Consultissimis, Plurimum Reverendis, Amplissimis
& Excellentissimis

DN. JOHANNI FRIDERICO FALCKNERO,
J. U. D. Comiti Palatino Cæsareo ac Reipu-
blica Lipsiensis Syndico.

DN. GOTTOFREDO SCHILTERO,
Ph. & J. U. D. Regularum Juris Professori Publico
designato, & Collegii B. Virginis Collegiato.

DN. VALENTINO ALBERTI, SS. TH. LIC.
ac Professori Publico extraordinario, Dial. & Metaph.
Ordinario, Facultatis Philos. Assessori & Collegii
B. Virginis Collegiato.

DN. JOACHIMO FELLERO, SS. TH. LIC.
Poëseos Professori Publico & Facultatis
Philosophicæ Assessori.

Dominis Patronis, Præceptoribus, Affini
ac Fautoribus summè observandis
ac colendis

Disputationem hanc Juridicam
debitâ animi reverentiâ

offert atq; vendicat

M. CHRISTIANUS THOMASIUS.

B. C. D.

INJUSTUM JUDICIUM PONTII PILATI.

P R A E F A T I O

In fame hactenus & exosum Christianis omnibus fuit Pontii Pilati judicium, quo Christum Salvatorem nostrum ad ultimum supplicium condemnavit, ac desperata planè ejus causa, nec immerito, visa est, ita ut nemo, qvi ejus patrocinium susciperet, reperiri potuerit. Surrexit tandem superiori anno *Dominus Joh. Stellerus, Leisnicensis J. U. Doctorandus* qvi in peculiari tractatu, qvem *Pontium Pilatum defensum inscripsit*, eum non excusare, sed defendere, sed justum judicem (*vid. cap. 2. n. 1.*) appellare non dubitavit. Ast reprobatum illud scriptum publicè fuit à Theologis nostris, qvin & postea autoritate publicâ venditio ejus prohibita. Qvamvis ergo satius fortasse fuisset, Camarinam non movere, qvoniam tamen eo seculo vivimus, qvo vetustum illud *Ovidii: Nitimur in vetitum* qvam maximè cantari, & ejusmodi libri qvô severius prohibentur, eò avidius emi legiqve solent, non peccaturum me putavi, si in cathedram Juridicam scriptum istud producerem, ac pro ingenii viribus refutarem. Duas autē partes feci tractationis meæ, historicam alteram, alteram Juridicam. In priore synopsin qvandam aëtorum tām corā Judæis, qvām coram Pilato exhibui, qvā in re præprimis *Harmoniam B. Gerhardi*, qvem hodiē hāc in parte habemus accuratissimum, fui secutus. In posteriore id præprimis operam dedi, ut ea qvæ *B. Carpzov. in Præf. Crimin. & Magn. Dn. Ziegli*, in aureo libello, qvem *Dicasticen* appellare ipsi placuit, de peccatis Judicum in genere proponunt, ad factum hoc Pilati applicarem, qvod paucis his Lectori benevolo significandum duxi, cui & me & mea studia commendo.

Pontius Pilatus unde nomen acceperit, quibus ex parentibus, quâve in regione natus fuerit, cum ad rem præsentem nihil conducat, alii disqvirendum relingo de eo tantum sollicitus, quodnam ejus fuerit officium? Ubi initio qvidem constat Judæx ipsum tum temporis iussu Romanorum præfuisse, non Syriæ, uti volunt Cyprianus (*cuante Grotio ad Matth. 27. v. 26.*) ac Tertullianus (*ap. Lipsium in nos. ad Tacit. p. m. 231.*) eumque secutus Cujacius lib. 19. obs. 13. quam locutionem tamen inde excusat facile possumus, quia Judæa provinciæ Syrie tunc attributa fuit, ut adeo non habeat quod hî tantopere miretur Lipsius *l. c.*

§. 2. Cum enim Herodes M. Judæorum Rex horrendo mortis genere extinctus esset (*vid. Joseph. antiquit. Jud. l. 17. c. 8. & 10.*) Augustus Romanorum Imperator, penes quem erat confirmatio testamenti ab Herode confecti (*Joseph. d. cap. 10.*) dimidium regni partitus est in Philippum & Antipam filios Herodis, alterâ dimidiâ parte, sub quâ continebatur Judæa & Idumæa, Archelao, quem successorem Herodes in testamento denominaverat, relictâ. (*Joseph. cap. 13.*) Sed hic decimo principatûs sui anno à Judæis contra Augusto ob immanitatem & tyrannidem accusatus ac ab Imperatore Viennam in exilium missus est, ejusque ditio Syriæ attributa (*J. sc. 15.*) Hinc postea Judæa regenda certi quidam administratores ab Augusto ejusque successore Tiberio præpositi, quos inter & Pilatus noster. (*Jof. l. 18. c. 3. & 8.*)

§. 3. Cæterum Pilatum Judæa non Præsidem sed Procuratorem fuisse verius est. *Vid. Is. Casaub. in not. ad Luc. c. 3. v. 1. Hug. Grot. ad eund. loc. Abr. Scultet. Exerc. Evang. l. 1. c. 14. Lips. annot. ad Tacit. p. m. 175. & 231. Cujac. l. 19. obs. 13. Dion. Gottof. in not. ad l. 3. ff. de offic. procur. lit. f. & ad l. 23. ff. de appell. lit. z. G. Franzk. ad ff. tit. de offic. Procur. Ces. n. 11. Probatur hæc sententia (1) autoritate Taciti Ann. XV. 44. 4. & (2) Philonis ap. quem Pilatus vocatur Ἀπόστολος Grotius ad Matth. XXVII. 2. qvod vocabulum procuratorem Cæsaris denotat. Scul. d. l. Aperte enim Dio ap. Lips. l. c. p. 175. 176 Ἀπόστολος Græcis appellari dicit, qui publicos redditus colligunt erogantque, qvod procuratorum præcipuum fuisse officium constat arg. tot. tit. C. ubi causa fiscalia. (3) Pilatus, si Cujacio l. c. credendum Eques Romanus fuit. Jam verò Procuratores vel Equites erant*

erant vel Liberti. *Lipsius* l.c. p. 175. Præfides autem plerumque erant viri consulares. (4) Præses Cæsaris mittebatur in Syriam, Procurator vero in Judæam mittebatur Præfidi Syriae obnoxius. *Sculpt.* l.c. Et sic Pilatus Vitellio tunc temporis Syriae Præfidi subiectus fuit, eique ut parceret necesse habuit vid. *Joseph.* l. 18. *antiq.* c. 5. in fin.

§. 4. Qui præfidem faciunt Pilatum, urgent præcipue græcum vocabulum *πρεσβύτερος*, quod ipsum à Josepho l. 18. c. 4. tum *Matth.* XXVII. v. 2. & 11. & passim in SS. literis tribuitur, cuius vocula originem si per vestigemus, apparere inquiunt, eam originem trahere ab *πρεσβύτεροι* duco, præco, denotari que adeo per eam ducem, it. eum qui præfet. *La Sellerius* *Pilat.* *defens.* cap. *prælim.* §. 18. Verum ut taceam, ab *Etymologiâ* infirma plerumque duci argumenta certum est procuratores Cæsaris non minus *πρεσβύτεροι* appellari quam legatos vel præfides. *Cajac.* l.c. Evangelistæ enim voce *πρεσβύτεροι* promiscue utuntur nunc pro *Πρεσβύτερῳ* sive procuratore, nunc pro *πρεσβύτερῳ* sive præfide *Sculpt.* l.c. & *Petrus* I. 2. 14. *πρεσβύτερος* vocat omnes *τάξιδια βασιλέως πρεσβύτερος*. *Grot.* ad *Luc.* III. 1. Porro & latinum *Præfidiis* nomen vel late accipitur, vel strictè. Hoc modo denotat illum, qui ab Imperatore in provincias sibi subiectas mittebatur ac gladii potestatem simul accipiebat l. 6. §. 8. ff. de offic. præfid. quo pacto dignitas ejus tunc à proconsulatu tunc à procuratori distinguebatur officio. At in latâ acceptione *Præfidiis* non generale est eoqve & *Proconsules* & *Legati Cæsaris* & omnes provincias regentes, licet senatores sint, præfides appellantur l. 1. ff. de offic. præfid. Hac significatione si quis Pilatum præfidem appellare velit, non refragabor, cum de strictâ sim sollicitus.

§. 5. Ulterius non obstat opinione nostra, Procuratores de criminibus cognitionem habuisse nullam, l. 3. ff. de offic. procur. *Cæs.* l. 3. C. ubi causæ fiscales, Pilatum vero criminale judicium adversus Christum exercuisse. Responderi enim ad hoc potest: Pilatum ex illorum Procuratorum suis numero, qui in minoribus quibusdam provinciis præter id quod in fisca causis jus dicerent, etiam gladio animadvertebant. Tales et si propriæ *Præfides* non erant, vice tamen *Præfidum* fungi dicebantur l. 2. C. de panis. l. 4. C. ad L. *Fab.* de plagiariis ac de criminibus cognoscere poterant, *Gottofr.* ad l. 3. C. ubi causæ fisca lit. a.

§. 6. Mores Pilati describit Philo de Legat. ad Cajum p.
m. 646, cuius summa est, eum pericaci duroque ingenio, imo
extra modum crudelem fuisse. Sed ego missis his ad rem præ-
sentem venio demonstratus Pilatum in condemnatione Salva-
toris nostri æquitatem & officium Judicis haud observasse, sed
contra propriam conscientiam iniquè ac timidè sententiam di-
xisse, in quo ita me geram ut breviter exhibet passionis historiâ
(qua hoc loco quā maximē opus fuit, quia mancam & ad suam
sæpius sententiam detortam illam tradidit Stellerus) peccata Pila-
ti succinctè exponam ac tandem ad ea quæ pro ipsius defensione
Stellerus attulit, pro virili respondeam.

PARS I. HISTORICA.

§. 7. Postquam consilium iniissent principes Sacerdotum,
scribæ ac Seniores apud Caipham, ut Jesum dolo caperent & oc-
ciderent, appositus iis se obtulit Judas Iscariot, acceptis 30. argen-
teis promittens se Christum in manus ipsorum traditurum.
Math. XXVI, 3. seq. Hic ergo diu quæstâ occasione, cum nos-
set Jesum in monte Olivarum secundum consuetudinem orare,
eō dicit cohortem Romanam a) ministrosque Phariseorum
qui ad capiendum Christum emissi erant, ostensosque illis per-
osculum Servatore, nefandum promissum nefandiore longè sce-
lere exsolvit. *Job. XVIII. Luc. XXII.*

a) Cujus aperte meminit *Job. XVIII. 3. conf. Gerhard. Harm.*
c. 183. p. 1769. Hinc minus recte Stellerus capturam tan-
tum ministris Judæorum attribuit. *c. 3. n. 27. & 73.*

§. 8. Comprehensum h. m. Christum, Apostolis in fu-
gam actis, duriter ligant milites, cumque eum Hanna Socero
Pontificis honoris ergo ostendissent, ducunt ad Caipham ejus
anni Pontificem, hominem Josephi elogio *l. 18. antiquit.* *Jud. c. 3.*
¶ 6. avarum planeq; perditum, apud quem Seniores ac scribæ
congregati erant. *Math. 26. Marc. 14. Luc. 22. Job. 18.* Hi impio-
more, cum jam anteà Christum ad mortem condemnare consti-
tuissent, dicis tantum causâ, ut DEO hominibusque illudant
legitimam judicij formam contra ipsum instituere videri volunt
b). Quapropter Caiphas insidiosis quæstionibus c) Chri-
stum aggreditur eumque de discipulis suis ac doctrina interro-
gat,

gat, ut nimirum ex responso Christi ansam aliquam accusandi
eum colligere possit. *Gerb. Harm. c. 167. f. 180g.*

b) Observations qvas h. l. Stellerus c. 3. n. 17. ex processu
criminali inspergit, idem docere videntur. *Qvo spectat*
& illa phrasis num. 22. Jesum Christum ex mente Sy-
nedrii per indicia certa delinquentem reputatum. Sed
contrarium docebunt annotationes nostræ.

c) Interrogatio Judicis in examine inqvisiti inter alia per-
tinens esse debet, ac proinde facta & crimina aliena-
nequaquam interrogationi inferenda. (in qvod reqvi-
situm Caiphas ex illorum opinione peccavit, qui cum
Chrysostomo statuunt ipsum interrogasse Christum
de factis discipulorum *vid. Gerb. l.c.*) Deinde cum fi-
nis inqvisitionis sit indagatio veritatis, eapropter ju-
dex in hujusmodi examinibus faciendis recto tramite
procedere debet ad finem veritatis indagandæ, non
autem ut eum involvat & captiosè inducat innocentem
ad delictum confitendum, qvemadmodum lo-
quitur B. *Carpzov. Praef. crim. qv. 113. n. 24. & 32.* Tan-
tum ergo abest ut Caiphas hâc in parte legitimam co-
gnitionem doctrinæ Christi susceperit, & adimplever-
it, qvod adhuc hodiè circa examen inqvisiti in usu,
ut vult Stellerus c. 3. n. 29. 39. & 31. ut potius inter-
Judices hominum tortores & carnifices, temerarios
nebulones, qui examinationem nimis captiosè insti-
tuunt, (*de quibus idem num. 32.*) jure merito sit referen-
dus.

§. 9. Videns hoc optimus Salvator, qvamvis non merea-
tur audire veritatem, qui non discendi animo, sed fraudulenter
interrogat, nihilominus tamen fallaci Pontificis qvæstioni aperte
& solide d) respondet, se palam locutum esse, ac ut præpo-
steram judicii formam Caiphæ certum aliquod crimen non ob-
jicienti, sed infidiosis potius qvæstionibus agenti exprobret, re-
mittit eum ad auditores suos, qui optimè sciant, quid docuerit.
Job. XVIII. 20. 21. Gerb. l. c. p. 1810. seq.

d) Omittit hanc priorem responsionis partem Stellerus c. 3.
num. 34. studio, ut nempè eo melius obscuritatis eam
argue-

arguere possit, posterioremq; saltem Christi Pontificem ad auditores remittentis recenset. Sed et si ponamus Christum priorem de publicâ doctrinâ responsionem omisisse, non poterat tamen de eâ conqueri Pontifex. Qvamvis enim inquisiti responsio distincta, clara, & manifesta esse debeat, cum paria habeantur non respondere & obscurè respondere l. u. §. 7. ss. de interr. in jur. faciend. Carpzov. d. i. num. 54. 55. certum tamen est, requisita hæc deficiente præcedancæ cåque legitimâ interrogatione, etiam expirare.

§. 10. Postea cum Jesus propter hanc responsionem invi-
quissimè à Servo quodam verberatus esset, Petrusq; promissi im-
memor magistrum suum impudenter abnegasset, conquirunt
anxiè Sacerdotes & Assessores Concilii falsum testimonium e) Sed
cum non satis idonea essent testimonia, vel qvia testibus inter se
malè congruebat, vel qvia ad mortis crimen non erant sufficientia,
Gerb. I. c. p. 1816. surgit ambitiōsè Princeps Sacerdotum, Christum-
querurus fraudulenter interrogat: nihilne respondere velit, ad
ea qvæ ipſi fuerant objecta? Verum omniscius Salvator subdolæ
qvæſtioni necq; viciq; vam respondet; in notoriis enim & manifeste
falsis operosā qvâdam refutatione non est opus. Gerb. p. 1817.

e) Hoc ipse Stellerus agnoscit c. 3. n. 34. Et tamen inquit
seq. n. 34. crimen Christo fuisse probatum. Apertius lo-
quitur c. 2. n. 20. Synedrium adhibitis testibus eum son-
tem advenisse.

§. 11. Dejecti ita Pontifices spe Christum falso testimonio
obtruendi, alia rem aggredientes viâ tertiam actionem feliciter suc-
cessoram sperant. Qvapropter Caiphas absurdè infidioſe qve ad-
ditâq; ve adjuratione f) Jesum interrogat: An sit Christus filius
Dei? qvi, qvamvis noverat, apertam veritatis confessionem cum
vitæ periculo conjunctam fore, in honorem tamen ac reverentiam
divino nomini, per qvod adjuratus fuerat, habendam, perpicuæ &
aperte se filium Dei esse profitetur, quo audito hypocrita Pontifex
zelum religionis simulans vestimenta rumpit; & e: Collegis qvæ-
rit, qvid ipsi de Christo tanquam per apertam cor fessionem blas-
phemia convicto g) videretur? Illi mortis reum esse pronunciant
(videl.

(videlicet ex Lege Dei *Levit. XXIV. 14.*) & postea domum recedentes Christum servis & ministris conspuedum relinquent. *Gerh. cap. 189. p. 183.*

f) Ad articulos inquisitiones nuda & simplex responsio inquisiti postulanda est, non jurata, ad evitandum perjurium, utut quandoque accidat, ut *Judices imperiti* Reos sub juramento respondere faciant, qui propterea reprehensione severa digni sunt. *B. Carpzov. d. l. n. 42.* Peccavit itaque & contra hanc regulam Caiphas. Nam et si non postulaverit ut Christus adhibito iurejurando responderet ad quæ situm (quod quidam statuunt teste Gerhardo *cap. 187. p. 1818.*) revera tamen haec adjuratio quod effectum eandem vim ap. Judæos habuit, ac si à Christo juramentum exegisset. *Gerh. l. c.*

g) Hinc recte concludimus cum Vossio *Harm. Evang. l. 2. c. 2. §. 14.* priorem hanc condemnationem Christi in Syndacio magis ob causam religiosam, nempe blasphemiam, quam civilem sive crimen laesa Majestatis factam fuisse, quamquam posteriorem postea magis apud Pilatum exagitaverint.

§. 12. Seuente die tempore matutino redeunt in domum Caiphæ. *Voss. Harm. l. 2. c. 3. §. 1.* ac forte subveriti, ne Christus à servis tam crudeliter tractatus in confessione suâ variaret. *Gerh. l. c. p. 183.* interrogacionem, an esset Filius Dei? &, cum annuisset, Salvator, condemnationem quoque repetunt. Sed quoniam potestas judiciorum capitalium unâ cum imperio ipsius à Romanis erat admota. *vid. infra §. 60. seq.* ducunt Iesum ad procuratorem Judææ Pontium Pilatum, executionem sententia criminalis ab eo postulaturi.

§. 13. Exit ad illos, prætorium ob instans festum ingredolentes, Pilatus, ac interrogat, quam accusationem adversus Christum afferant? Agrè hoc ferentes Pharisæi, satis superbe respondent; Si non esset hic nocens, haudquam tradidissimus. Cupiebant nimis blasphemias, tanquam causæ Ecclesiasticæ dijudicationem & cognitionem sibi solis attribui, meramque executionem supplicii ad Pilatum pertinere. Sed non immitio ob impudentissimum hoc postulatum h) mordaci respon-

fo i) Pilatus eos ferit, dicens; accipite eum & secundum leges vestras judicate. Sentientes Judæorum proceres salto hoc Pilati sermone se pungi, ejusque potestatem reveriti, humilius quam ante respondent, ipsis non licere quenquam interficere, k) ob ablata videlicet judicia capitalia.

h) In criminibus enim & delictis quam maximè causa cognitione opus est, ne ad pœnam ejusque executionem temerè ac præcipitanter à magistratu vel judice procedatur, aut contrà inauditam partem aliquid definitur, 74. ff. de judic. Alioquin enim si absqve causa cognitione procedatur ad executionem statim, ordine juris violato, processus & actus totus nullius momenti est l. 7. C. de sentent. & interlocut. Carpzov. Pract. crim. qu. 113. n. 3. seq. Nam pœnam non nisi confessio vel convictio irrogare licet. l. 16. C. de pœnis.

i) Alter hoc intellexit Montaltius. vid. infra §. 56.

k) Disertè Johannes XVIII. 31. responsionem hanc Judæorum ante examen Christi à Pilato institutum recentat ut mirer Gerh. Joh. Voßium in Harm. l. 2. c. 5. §. 31. eam post flagellationem demum Christi narrare.

§. 14. Cum itaque viderint primo modo propositum ipsi non succedere, h. e. Pilatum nolle indicâ causâ Christum condemnare, sive potius ipsorum condemnationem exequi, alia rem aggrediuntur viâ, & misâ blasphemiam, propter quam ipsi Christum condemnaverant, novum planè actionis genus instituunt, eumque tanquam seditionis (ut qui gentem everteret, tributa Cæsari dare vetaret, seqye Regem profiteretur. Luc. XXIII. 2.) atq; adeò læsa majestatis reum accusant, l) quo percepto Pilatus Iesum interrogat, an sit Rex Judæorum? Sed quoniam Regis vocabulum ambiguum erat, ideo Christus, ut eo solidius respondere posset, rogat Pilatum, an ex seipso hoc querat, an vero ab aliis id acceperit? cumque Pilatus posterioris affirmasset, respondet Christus, se quidem Regem esse, sed regnum suum non mundanum esse sed spirituale.

l) Omittit hoc accusationis caput Stellerus, ac tantum blasphemiarum meminit e. 3. n. 68. 69. 70. videlicet ut Pilato cognitionem causâ admere, meramque executionem tribue-

tribuere eō melius posset. Qvam in rem adducit locum
Luc. XXIII. 14. ex qvo probare vult, Pilatum qvæsiſſe
ex Christo, an populum averteret à *vero culta divina*, cum
tamen divini cultus planè nulla ibi fiat mentio, sed po-
tius averſio à potestate Cæſareā, ob qvam Judæi Chri-
ſtum accusaverant, intelligatur.

§. 15. Intelligens Pilatus, ex diffidio religionis inimicitiam
inter Christum & Judæos ortam, falsaque esse, qvæ de seditione
illidixerant, progradientur & palam profitetur, se nullam causam,
qvæ morte digna sit, in Christo reperire; qvo auditio principes Sa-
cerdotum Jesum de multis accusare pergunt *Marc. XV. 3.* haud du-
biè prioris accusationis capita repetentes *Ger. b. c. 191. p. 1874.* ad qvæ,
cum notoriè falsa essent, Christus, qvod & nosset, Pilato de suā
innocentiā constare, aliasque ob causas ne verbum quidem re-
spondet, adeò ut Pilatus valde miraretur.

§. 16. Sed Judæi criminē regni affectati parum se promo-
visse observantes aliam litem excitatæ seditionis movent, Chri-
ſtum nempe doctrinā novā commovisse populum & ita quietem
publicam turbasse. Ac qvām verè hæc dicant, inde cognitorum
ajunt, qvod non in Judæā modo hæc fecerit Christus, sed & Ga-
lilæa seditionisforum matre. *Veff. d. t. c. 4. s. 17. Ger. b. c. 192. p. 1877.*
Auditæ Galilæa, cum cognovisset Pilatus Christum ad Herodis
ditionem pertinere, politicā qvādām prudentiā usus ad Herodis
tribunal eum ablegare cogitat, ne scilicet cogeretur vel contra-
conscientiam suam Christum innocentem condemnare, vel pon-
tificum in se derivare odia, atqve adeò si non posset Jesum liberare,
saltē ipse à judicio hōc extricaretur. At valde decipitur in opi-
nione suā Pilatus. Nam Herodes, cum Christus nullo eum re-
sponso dignatus esset, neqve tamen mortis causam in illo potuisset
invenire, remittit Jesum ad Pilatum, cumq; eo, ne videlicet planè
frustranea effet hæc missio, reconciliatur.

§. 17. Inde Pilatus convocato populo novum de innocen-
tiā Christi testimonium profert, neqve se, neqve Herodem, qui
tamen popularis ipsorum sit ac religionis ejusdem ullum crimen,
de qvo accusatus sit, in illo invenisse. *Luc. XXIII. 13.* Ut autem ali-
quæ ex parte voluntati Judæorum obsequeretur, promittit illis, se

Christum castigaturum; satius esse putans innocentem flagella-

re, qvām vel mortis pœnam eidem irrogare, vel dimisso plane Christo seditionem atqve odium Iudaorum timere. Interim tamen cum nec mortem nec flagella Christum promeruisse nosset, de alio liberationis medio cogitat, cumqve vel à populo admonitus, vel sūa sponte pristinæ consuetudinis recordatus, maleficum qvendam pœnam capitîs promeritum dimittendum esse intelligeret, mutat prius de flagellando Christo consilium, *Gerb. c. 193. p. 1884. Vg. l. 2. c. 5. l. 3.* & cum Christo Barrabam impurissimum latronem conjungit, electionemqve Iudaorum ad hos duos restringit, ne qvīdem somnians futurum, ut seditionis homicidam homini innocentii, miraculis & beneficiis maximè conspicuo prælaturi sint, qvamvis optimè sciret, Summos Pontifices ex invidiâ Christum tradidisse.

§. 18. Deliberante populo, qvem ex his duobus eligerent, nuncium Pilato in tribunali sedenti conjux somnio commota mitit, qui eum admoneret, ne quid sibi cum justo illo negotii esse velit. Sed Pontifices variis technis populo persuadent, ut Barrabam dimissionem expeterent, qvod audiens Pilatus non qvidem à proposito liberandi Christum statim desistit, sed rogit eos, si Barrabam vellent dimitti, qvid de Christo fieri cuperent? Illi uno ore clamant, ut cruci affigeretur. Hic Pilatus ulterius eos compellat, qværitqve qvid tam grave commisisset Jesus ut tale supplicium ipsi esset subeundum? tertiaqve vice se nullam culpam in eo invenire testatur. At illi haud dubiè priorem accusationem repetentes, Christumq; seditionis reum dicentes, eandem cantilenam canunt, & conjunctis viribus, ut crucifigatur, postulant.

§. 19. Videns Pilatus præter omniem expectationem Barrabam Jesu præferri, metuensqve Pontificum odia, concedit paullisper ipsorum furori & ad prius consilium de flagellando Christo reddit, sperans crudelitatem populi hâc pœnâ satiari posse. Hinc itaque miserè & graviter à lictoribus flagellatur Salvator optimus, & à militibus vel iussi Pilati vel militari proterviâ variis irrisiōnibus & contumeliis afficitur *Gerb. c. 194. p. 1904. 1906.* Flagellatum hoc modo ac à lictoribus vincitum producit Judex (qvid qvod & qvartâ vice publicè profitetur, se nullam in eo invenire culpam) ut videlicet hoc miserando spectaculo ad commiserationem Judæi permoverentur & crucifixionem ejus expete-

re desinenter, quem præter omne meritum ita misere tractatum intuerentur. At Sacerdotes eorumq; ministri timentes, ne co-move-retur populus, magno clamore & vociferatione suum crucifige repetant. Tum Pilatus indignabundus planè: se innocentem condemnare haud posse; quod si omnino crucifigi eum velint, proprio periculo agant, qvicquid ipsis libuerit. Itaque Pontifices, cum audirent Jesum publicā Judicis vocetoties à crimen laſe majestatis, propter quod ipsum accusaverant, absolvı, necessitate, qvādam compulsi blasphemiam ei rursus objiciunt, dicentes, se Legem habere, secundum qvam mori debeat, quod Filium DEI se fecerit.

§. 20. Inde Pilatus religioso qvodam metu perculsus & Christum fortasse more gentilium pro Semideo agnoscens *Cerb.* c. 193. p. 1919. *Voss. l. 2. c. 5. §. 33. 34.* eum interrogat: Unde sit? verum cum non amore pietatis, sed potius timore supplicii istud quereret, non immerito à Christo nullum accipit responsum; quod ipsum indignè ferens taciturnitatem Christo exprobrat, vaneqve potestatem suam tamē condemnandi eum, qvam absol-vendi jaēstat; qvam jaēstantiam humanissimè castigat Christus, potestatem illam de qvā gloriatus erat limitando, & docendo, qvicquid in eum posset Pilatus, è supernis per divinam scilicet permissionem ipsi datum esse. Qvin & obliquè iniquitatem Pilati accusat, addens tamen, majus esse illorum peccatum, qui ipsum Pilato tradiderint; quo sermone tangitur Pilatus, ut ex eo tempore modis omnibus qvæserit absolvere Christum, eumque majoribus viribus qvām autē liberare.

§. 21. Cum ergo Pilatus parum curaret crimen hæreos vel blasphemiarum Christo intentatum, redeunt Judæi ad priorem accusationem seditionis scilicet & affectati regni. Nec simpliciter crimen hoc repetunt, sed addunt comminationem, se hanc causam ad tribunal Cæsaris delatueros, vociferantes: Si hunc absolveris, non es amicus Cæsari; qvicunq; enim se Regem facit, Cæsari contradicit. Non sustinet ictum hunc Pilatus, veritusq; ne gratia Cæsaris & offici dignitate excideret, victum se qvæsi & captivum Judæis præbet. Qvamobrem pro tribunali confidet, Christum in ipsorum gratiam condemnaturus.

§. 22. Etsi verò jam animo Pilati sederet hæc sententia, condemnare Jesum, nihilominus committere non potuit, quin aliquva diceret ad testandum quam invito hoc faceret animo. Nam videns Jesum è prætorio adduci, dicit Judæus: Ecce Rex vester. Sed hi ferinos suos clamores iterant: Tolle, tolle, crucifige eum. Pilatus contrà: Num Regem vestrum crucifigam: Respondent Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Ubi Pilatus conspexit, turbam gliscere, malluvium sibi afferri jubet, manusq; populo inspectante lavat, eundem his verbis alloquens. Innocens ego sum a sangvine hujus, vos videritis; cui protestationi audacter respondet universus Populus: Sangvis ejus super nos & super filios nostros. Tandem ergo Pilatus statuit, turbæ satisfacere & adjudicat, ut fieret quod illi postulabant, dimissioque Barrabā Jesum flagellatum tradit voluntati eorum ut crucifigatur. *Math. XXVII. 26. Luc. XXIII. 24.*

PARS II. JURIDICA.

§. 23. Præmisâ hoc modo facti specie queritur nunc: An Pilatus in judicando Christo justè egerit, officiumque boni iudicis impleverit? Negatur. Veritas sententia hujus patebit, si speciatim ostendero, in quo peccaverit Pilatus & officium iudicis (quod tamen non juxta Jus Civile Justinianeum, quatenus iustale, vel etiam Canonicum, utpote quæ tunc non fuerunt, sed juxta Legem naturæ metiendum) non observaverit, ubi simul cauebo, ut & excessum vitem, & defectum.

§. 24. Judicii cujuscunq; quatenus actionem judicandi denotat, duæ præprimis partes sunt, cognitio causæ, ejusq; diadicatio, arg. l. 9. *Cod. de judic.* Causæ cognitio uti omni iudicio tam necessitate mediæ, quam necessitate præcepti necessaria est, vid. *Magnif. Dn. Zieg. in Dicast. concl. 27. §. 1. & 4.* ita subinde prospiciendum invenit æquus judex, ne circa eam aliquid committat, quod contra ipsius sit officium. Quod Pilatum attinet, quamvis fatendum sit cognitionem ejus haud fuisse talēm, qualis in d.l. 9. *C. de judiciis* reqviritur, (ad quam vid. *Magn. Dn. Zieg. d. concl. 27. per tot.*) tenendum tamen in genere, plenam & justam inquisitionem dici eam, quando judex nihil eorum, quæ ab utrâque parte afferuntur, quæ*judicii* natura postulat, prætermittit, quin audiat, cognoscat, atq; attendat. *Ovid*

*Queratōne, cum iudicii natura non semper requirat numeris omnibus ab-
solutam cognitionem -- plena nihilominus dicitur quae talis est, qualis sufficit.*
Dn. Ziegli, d. l. concl. 36. §. 2. Et talem etiam fuisse inquisitionem
Pilati cuivis historiam actorum hactenus exhibitam legenti pate-
bit. Ut taceam, d. l. 9. non solum ea recensere, qvæ de Jure N.ad
cognitionem causæ necessaria sunt, sed & qvædam è jure Civili,
qvod jam §. preced. ablegavimus, admixta habere.

§. 25. Antequam vero iudex causam cognoscat, probè ipsi
perspicendum est de fundatione suæ jurisdictionis. Nam, si quis,
qui id non competit, in aliquâ causâ judicet, tunc & cognitio &
sententia istiusmodi ipso jure nullæ sunt, eique impunè non pare-
tur. *I. 2. §. 4. C. si à non compet. jud. l. ult. ff. de juria d. Carp. Pr. Crim.
90. 110. n. 1.* Qvema modum itaque ille peccat, qui proprio ausu
& autoritate privatâ potestatem judicandi sibi arrogat, qvive per
modum ampliationis limites jurisdictionis suæ extendit, *Magn.*
Dn. Ziegli, l. c. concl. 10. §. 11. ita non minus Pilatus iniquè fecit, qvod,
cum ipse omnino iudex competens fuerit, prater omnem necessi-
tatem saltem ne Judæorum odia incurrere cogeretur. Christum
ad Herodem publicis flagitiis & crudelitate infamem miserit. No-
tat hoc peccatum *Everb. Specchian Conjur. 3. Class. 3. qv. 3. num. 8.*
§. 6.

§. 26. Qvod si enim delicti participes se faciant etiam illi,
qui opem non ferunt injuriæ patienti, cum tamen eam ferre ex jure
propriæ dicto teneantur (e.g. judges) *Grot. de J. B. II. 21. 1.* omni-
no & Pilatus per hanc causæ ad Herodem ablegationem, si conti-
gisset, Christum ab Herode fuisse condemnatum, reus fuisse san-
guinis ejus, utpote qui jam publicum de innocentia ipsius testi-
monium dederat, *v.d. Saprà §. 15.* Elegans hanc in rem est locus
Ciceronis referente Gerhardo Harmon. e. 192. p. 1878. Est quedam
injustitia species, injuriā a proximo cum possit & debeat, non propulsare.
Hinc & incendium non ei tantum imputatur, qui faciem intulit, sed & ei,
qui prohibere cum posset, omnino noluit, ut ex Niceta Choniate loquitur
Grotius in notis ad l. 2. de J. B. c. 17. §. 8. p. m. 271.

§. 27. Dixi §. 25. Pilatum fuisse Judicem competentem,
qvod ut eo melius intelligatur, videndum erit, qvodnam forum
in causis criminalibus dicatur competens, qvotque modis delin-
quens

qvens forum sortiatur? Ad quam qvam qvæstionem distinctè respondendum.

§. 28. De Jure Civili forum hancisicitur reus ubi commissum est delictum, (seu actio ista, ob quam ab actore reus accusatur, si-
vè vere hoc fiat, sive falso, ut in casu presenti Iesu Christi, perinde
est) l. 3. ff. de offic. presid. l. 22. ff. de accus. l. 14. C. ad l. Jul. de adult. corf.
l. 10. & 16. Cod. Tweed. de accus. & hoc forum in causis criminalibus
ferè pro principali & præcipuo habetur. Dn. Zieg. d. l. concil. 15. §. 35.
B. Carpz. prax. crim. qu. 110. n. 15. & propterea remissiones ad locum
delicti commissi olim necessariæ erant. Nov. 134. cap. 5. l. 7. ff. de iustiæ
Exhib. reorum.

§. 29. De Jure Saxonico triplex recenset forum B. Carpzo-
vius d. q. 110. (1) forum domiciliū n. 9. seq. (2) forum delicti com-
missi n. 13. seq. (ubi tamen notaandum, remissiones delinqüentium,
qvæ de Jure Civili reqvirebantur, ubi vis ferè locorum hodiè in de-
suetudinem abiisse, neque de Jure Saxonico Judicem domiciliū ad
eam esse obstrictum. n. 53. 54.) (3) forum deprehensionis num.
69. seq.

§. 30. Recta ratio, quam maximè hic spectamus. (vid. §. 23.)
videtur forum delicti commissi præprimis approbare, id qvod ex
fine pœnarum facillimè probari potest. Ad utilitatem enim publi-
cam, inquit Magn. Dn. Zieg. d. concil. 15. §. 35. pertinet, ut in sorties exem-
pla publice vindictæ edantur illici ubi delictum commissum est, tam ut sati-
fiat illis, qui vel facio vel improbo etiam exemplo laeti fuerint (hic est pri-
mus pœnarum finis, quem vocare possis expiatorium) tam, ut meritis
adimatur aliis, qui rei audacia & improbitate talenta conceperint (secun-
dus finis, assecratorius) tam denique, ut si qui improbi exemplo maleficis
audaciores facti sint, cogniti maleficis exitu terreatur, & spe impunitatis
ademptâ in posterum ad injuriam tardiores fiant l. 28. §. 15. ff. de panis
(tertius pœnarum finis, emendatorius) qvibus accedit, qvod in loco delicti
exactiores habeantur probationes, facilius expediri possint confrontationes,
¶ totus processus absolvit qvæst majori cum celeritate.

§. 31. Qvaritur autem hic, qvodnam forum delicti commissi di-
cendum, an illud ubi delictum inchoatum, an in quo consumma-
tum? Resp. cum B. Carpz. v. d. qv. 110. n. 16. seq. posterioris affirmati-
onem juri Naturæ conformiorem esse, cum delictum in loco ubi
perficitur suam formam accipiat, per quam dicitur esse delictum.

§. 32

§. 32. Quid si in duobus locis crimen commissum sit, quis
hoc in casu judex competens sit, disquiritur? Resp. distingvendo.
Aut utrinque et quale crimen commissum est, aut in uno loco ma-
jus, in altero minus. Priori casu si videtur esse judex competens,
qui prior rei copiam acceperit. Posteriori casu vel reus delinqvens
invenitur apud eum judicem, apud quem minus crimen commis-
sum, & tunc locum habet l. 7. §. ult. ff. de accus. vel apud eum ubi
majus crimen commissum, & tunc, si ibi punitus fuerit, non neces-
se est, ut ad alterum quoque, ubi minus crimen perpetratum, mit-
tatur, cum in confessio sit, majus delictum minus absorbere. Dn.
Zieg. d. l. §. 37.

§. 33. Constat ex haec tenus dictis, Pilatum in causâ Jesu
Christi fuisse judicem competentem per §. 30. & 28. Nec obstat,
quod Judæi dixerant, in Galilæa, quam provinciam regebat He-
rodes, incepisse Christum doctrinâ suâ populum commovere. Sive
enim inchoatum ibi crimen innuere volebant Judæi, sive planè nu-
mero diversum, neutro tamen modo vel Pilatus justam habebat
causam verendi hâc in parte in Herodis, vel Herodes irascendi
Pilate per dicta §. 31. & 32.

§. 34. Venio ad alteram judicij partem, causâ nempe co-
gnitæ dijudicationem, ubi enormiter & variis modis peccavit Pila-
tus. Ac primò quidem iniquissime egit, dum Christum, postquam
publicè jam de omnimodiâ ipsius innocentia testatus erat, se casti-
gaturum Judæis promisit. vid. supra §. 17. Audi te ipsum Pilate, in-
quit Gerhardus Harm. c. 193. p. 1889. si innocens est Christus, cur non ab-
solvis? si flagris cedendum iudicas, cur innocentem illum pronuncias? Etsi
itaque Pilatus eum in finem hoc promiserit, ne cogeretur Chri-
stum ad mortem condemnare, quod omnino gravius erat pecca-
tum; non minus tamen propterea excusatibus, ac ille, quine co-
gatur furari, scortatione corpus suum polluit, aut iste qui furtum
committit, ut eleemosynas dare possit. Non enim facienda mala sunt,
ut inde bonum eveniat, nec moralitas bonarum actionum ex solo
fine judicatur, sed & necesse est ut media fini congruentia adhibe-
antur. Notum præterea est electionem minimi ex duobus mali
restringi à philosophis ad sola mala naturalia, nec procedere in
moralibus.

§. 35. Secundâ extremitate injurius fuit in Christum Pilatus con-
feren-

ferendo eum cum latrone sceleratissimo juratoque reip. hoste Barabā: *vid. suprà §. 17.* Injuria aliás in jure definitur qvod sit delictum in contumeliam alterius admissum *l. 1. pr. ff. de injur. pr. Instit. eod. Ludv. Exerc. XV. tb. 6. m.*) estqve vel realis, vel verbalis *l. 1. §. 2. ff. de injuriis.* n) Hæc verbis injuriosis vel scriptura vel ore prolati, illa factō contumelioso perpetratur. Non immeritō itaque factū hoc Pilati ad Realem injuriam referri potest. Qod si enim is, qui alterum homicidam appellaverit, injuria reus est *B. Carpzov. Pr. Crim. qu. 94. §. 3.* multo magis iste, qui hominem innocentem & qvè contumeliosè ac contemptim atqve impurissimum homicidam publicè prostruit.

m) qui tamen addit in definitione vocabulum doli, qvod superfluum est, qvia ad omne delictum reqviritur dolus. *Grot. II. 21. 1. ibid. Zieg. p. 481.* Non obſt. *l. 11. §. 2. ff. de pœnā.* Nam qvod impetum attinet, & ille subdolo comprehenditur *Dr. Zieg. d.l. p. 482.* Casus autem impropriè nimis appellatur delictum.

n) Addit Wesenbechius in *Parat. ad tit. de injur. n. 3.* tertiam speciem, personalem scilicet injuriam, qvæ inferatur personæ per verbera &c. sed absqve causâ. Nam omnis injuria est personalis, & illa qvæ sit per verbera sub reali comprehenditur per *d. l. 1. §. 2. ff. de injur.* Aliam injuriæ divisionem Damhouderi in 4. species refutatam vide ap. Berlich. *Part. s. concl. 59. n. 1.*

§. 36. Nec juvabit Pilatum, si quis pro excusatione ejus afferat, ad qvamvis injuriam animum injuriandi requiri *l. 1. §. 8. ff. de injur. vent.* *l. 34. ff. de O. & A. l. 3. & 4. ff. de injur.* at Pilatum non animo injuriandi sed ex proposito potius liberandi Christum hoc fecisse *vid. §. 17.* Respondere enim ad hoc potest, ex qvolibet verbo vel facto injurioso animum injuriandi praesumi donec contrarium probetur *arg. l. 5. C. de injur. ibid. Gottofr. lit. p. arg. o. 1. exir. de praesumt.* qvod ex dictis nondum probatum est. Qyamvis enim simul de liberatione Christi cogitaverit Pilatus, unius tamen rei plures possunt esse fines, & ex historiâ passionis satis constat, qvam contemptum non hanc tantum in loco sed passim Jesum Christum habuerit. Illud autem, qvod

qvod Glossa dicit, qvamlibet, licet fatuam & injustam causam excusare à dolo & contumeliâ, adeò ab omni jure abhorret, ut mirer id placuisse Wesenbecio *in parat.* l. c. n. 8.

§. 37. Peccavit tertio Pilatus, dum ad pristinum de castigando Christo consilium redit, eumque miserrime flagellavit, *Job. XIX.1. vid. § 19.* Qvod et si non ita crassè cum Bedâ intelligendum, ac si ipse Pilatus manibus propriis Christum castigaverit *vid. Gerl. Harm. c. 194. p. 1903.* nihil tamen minus pœnâ & justâ reprehensione dignus est, cum notissimi juris sit, qvod quis per alium facit, id ipsum fecisse intelligi, & juxta Grotium *de J. B. I. 2. c. 17. §. 11.* tenentur in delictis primo loco illi, qui imperio aut alio modo aliquem impulerunt ad factum, his demum deficientibus patrator facinoris & post eum cæteri. Cui accedit qvod Jure Civili mandans pœnâ ordinariâ *l. 15. §. 1. ad l. Corin. de sicut. l. 11. §. 3. de injur. l. 5. C. de accus.* mandatarius verò, si iussu magistratus vel Domini quid fecerit, pœnâ extraordinariâ *arg. l. 37. pr. ff. ad L. aquil.* puniantur. *vid. Hahn. ad Wesenb. tit. mandat. n. 5. p. m. 474.*

§. 38. Variant autem h. l. interpres qvâ intentione vel potius qvo prætextu flagellatio Christi à Pilato instituta. Grotius *ad Math. XXVII. 19. & ad Job. XIX. 1.* putat Pilatum flagellationem tormenti loco adhibuisse, qvo pacto nova in eum ex capite injuryrum emergeret animadversio. Injurya qvippe realis est, si magistratus aliquem injustè sine indicio vel præter modum torqueret. *facit l. 15. §. 34. & 41. junct. l. 32. ff. de injur. Berlich. P. 5. concl. 59. n. 108.* Et Pilatus jam aliquoties de innocentia Christi testatus fuerat, novorum autem indiciorum nullibi in sacris literis fit mentio. Verum ne dictæ Grotii sententia subscribere possim, valdè me movent verba *Luc. XXIII. 16.* Si enim Pilatus voluisset flagella ut medium veritatis & confessionis eruenda adhibere, dicere sanè non poterat, se factâ castigatione Christum velle dimittere. Verior ergo videtur eorum opinio, qui Pilatum pœnâ loco flagella adhibuisse statuunt, ut nimurum Judæis, si Christum non plane impunitum relinqueret, aliqua in parte adularetur, sed contrâ omnem aequitatem, cum qvælibet pœna delictum præsupponat, quo deficiente & ipsa expirat, qvam ob causam Papinianus *l. 41. ff. de pœnis pœnas & estimationis nomine appellat.* *H. Grot. de J. B. II. 20. 28.*

C 2

§. 39.

§. 39. Tandem quarto Pilatus summum injustitiae gradum explevit, dum Christum contra propriam conscientiam ad mortem condemnavit. *vnd. supra* §. 22. & *infra* §. 69. scq. Peccat judec, qui reum crimine non plenè sed imperfectè probato condemnatur. *Carp. Pr. Crim. qu. 116. n. 47. 50.* Quid ergo de Pilato dicendum, qui innocentissimum, cuiusque innocentiam tot vicibus publicè agnoverat, morti adjudicavit.

§. 40. Rapuit autem Pilatum in has extremitates metus, cui nimis justo indulxit. Nam cum videret, tantis clamoribus rem agitari, metuebat, ne populus per tumultum Jesum ad mortem raperet, & si ipse obfisteret, defectionem moliretur. Accedebat quod Judæi accusationem quasi apud Tiberium, à quo status ejus atque vita dependebat, minarentur *vnd. §. 21.* Jam vero noverat, suspicacissimum esse Imperatorem, & sub illo minima quæque in crimen majestatis venire, ac apud talem Dominum qualencunque provincialium accusationem afferre periculum. Huic itaque timori succubens Pilatus injuste agere quam pati maluit.

§. 41. Ex his in favorem Pilati dicere quis poterit 1. eum quasi per vim coactum fuisse ut Christum morti adjudicaret, quia populi clamoribus non facilè poterat resistere. 2. refert B. Carpzovius *Pr. Crim. qu. 18. n. 50.* quod ii, qui minis seu metu coacti delinqunt, aliquo modo excusentur, quia coacta voluntas non est voluntas¹. *velle non creditur* ff. de R. J. & coactus magis pati quam agere dicitur.

§. 42. Sed facilis est ad objecta responsio. Nam quod clamorem populi concernit sapientissime constitutum ab Imperatoribus, *vñas* populi voces non esse audiendas *l. De curionum C. de pœnis* (ubi Glossa etiam Pilatum notavit) easque non sequi debere judicem, & ne quidem in favorabilibus *l. 17. pr. ff. qv. & à gribus manum. l. 12. ff. de appell. l. 31. ff. de pœnis*, nec sine causa, nam populus sèpe clamoribus ad gratiam aut ad pretium excitatis moveri solet *can. 16. can. 8. qv. 1.* Docendus itaque populus est, non sequendus, & si sponte ad officium redire nolit per severitatem, congruentem reducendus *can. 2. Disp. 62.* Pilatus autem, ut jam ante seditiones populi compescuerat teste Josepho *lb. 18. antiqu. c. 4.* ita quoque hunc tumultum facili negotio judiciariâ suâ autoritate & præsidiorum militum auxilio sedare potuisset. Probabile inde

inde est, eum potius offensam Cæsaris, quam Populi tumultum
timuisse.

§. 43. Qvod vero in §. 41. ex B. Carpzovio adductum est,
ad id Resp. 1. non absolute intelligentium, quod ibi dicitur ex
metu peccantes videri coacte delinquentes, sed comparates, ratione
nimurum aliarum actionum spontanearum. Nam et si in actione-
bus metu initis non plena fit sibique relicta voluntas, plus ta-
men in iis voluntatis est quam coactionis, ac propterea, cum à po-
tiori fieri soleat denominatio, actiones haec mixtae ad spontaneas
recte referuntur. vid. Dn. Parentis Phil. Praet. Tab. 11. n. 4. & theor. 4.
Qui itaque ex metu delinquit, nihilominus ad penam obligabi-
tur, agit enim sciens & volens, quod ad imputationem penæ
sufficit.

§. 44. 2. Loquitur ibi B. Carpzovius de excusatione,
non totali & absoluta ab omni penâ, sed aliquali tantum, respe-
ctu ad eos habito qui ex voluntate plenâ delinquunt, ut sen-
sus sit, eos, qui ex metu peccant, non penâ ordinariâ notandos
esse, cum ipsorum voluntas aliquam quasi coactionem patiatur,
nec plenâ libertate gaudeat, sed extraordinariâ.

§. 45. 3. Nescio tamen an dicta locum habeant in judice
ex metu male judicante. Hic enim à communis regula ob spe-
ciale rationem videtur excipiendus. Nam cum officium ipsius
sit ut fortis, fortitudo vero quamlibet mala potius tolerare,
quam malo consentire decernat can. 3. caus. 32. qu. 5. & præterea
metus ipsi tam serio fuerit prohibitus non jure tantum Canonico
can. 78. & 80. c. 11. qu. 3. cap. 1. in princ. de sentent. & rejudic. in 6to. Sed
& divino Deut. 1. 17. Ecclesiastic. IV. 26. 27. VII. 6. Quomodo excusabitur
ille, verba sunt Magnif. Dn. Ziegl. in Dicast. Concl. 32. §. 22. quod
officii sui est, negligit aut omittit? --- Nec ergo attendi poterit exceptio,
quam citati Autores (Paris de Puteo & Antonius Capycius) addunt,
dam judicem excusari nolunt eo casu, quando à principio sciverit, evenire
hoc potuisse, ut ex mensa alter judiceret, debuisse enim tum officium recusare
ajunt. At vero debuit ille hoc scire ante omnem officii hujus acceptatio-
nem, cum hoc quasi proprium ejus sit, nihil extimescere, nihilq; aliud,
quam quod justum est attendere. Conf. Joh. Matienzum JCTum Hi-
spanum de judicium, Referend. & Advoc. offic. part. 3. c. 36.

§. 46. Annectam his ultimo loco aliud Pilati peccatum.

C 3

quod

qvod tamen magis ad jaſtantiam qvām injustitiam ſpectat. Arroganter enim ad Christum dixit: An nescis qvod potestatem habeam te crucifigendi vel absolvendi? Sed mentiris Pilate. Si enim in genere abſolutam qvandam potestatem pro lubitu abſolvendi vel condenmandi Magiftrati conceſſam intelligis, neutram habes. Non illam, qvia ne qvidem princeps in delictis lege diuinā prohibitis mortis pœnam remittere potest, *v.d. infra* §. 77. neq; hanc, nam si magistratus gladium stringat in innocentes, tyrannica crudelitas eſt, non potestas legitima. Qvod ſi autem in ſpecie de perfonā Christi loqveris, teipſum damnas. Si enim habuisti potestatem eum abſolvendi, uti reverā habuisti, imo ad id fuisti obligatus, cur non dimiſisti?

§. 47. Sensit hanc objectionem Stellerus, eamque reſponſione ſuā infringere conatur. Ita enim inquit cap. 3. n. 62. *Verrum & bic res expedita;* Pilatus namque tantum loquitur de certo modo mortis, nimtrum de crucifixione, totam liberationem non promittit, ſed tantum crucifixionem (à crucifixione fortaffe dicere voluit) quippe qvod crucifixio de moribus Romanorum in uſu, quorum regimini preſum Pilatus. Sed qvæ conſequentia? Pilatus loquitur de crucifixione; ergo non promittere potuit liberationem omnimodam? Audi Gerhardum, Harm. c. 195. p. 1920. Utitur Pilatus verbo crucifigendi potius, qvām interficiendi, ut Christum communion crucis velut diriſſimi & ignominioſſimi supplicii magis perterrefaciat ad extorquendam ab ipſo reſponſum: ex parte alterā utitur verbo abſolvendi, ut pollicitatione plenaria liberationis magis invitet ad prolixiendum reſponſum.

§. 48. Et cur Pilatus Christum à ſola crucis pœna liberaſſe potuiſſet? Erat equidem crucifixio pœna apud Romanos conſuetā, Judæisq; inuſitata. Sed qvid inde? Judæi amplius potestatem nullam habebant judicia capitalia exercendi *v.d. infra* §. 60. Pilatus autem, fatente Stelleroc. Prælim. n. 19. erat praefectus provincialis Judææ (vel potius procurator cum potestate, praefidis per §. 3. & 5.) ubi imperium exercetabat, Romanorum dignitatē & qvē ac tranqullitatem publicam obſervabat, imo pene ipsum Jus vitæ & Necis erat, uti loquitur c. 1. n. 76. & c. 2. n. 22. Sed hoc jus ſine potestate abſolvendi & condenmandi non potest concipi. Non ergo reſta mē expedita eſt, uti Stellerus qvidem exiſtimat.

§. 49.

§. 49. Dixi §. 23. me excessum in accusando Pilato vitaturum; Excedere autem videntur illi, qui omnes ferè Pilati actiones perstringunt, cum tamen fatendum sit, in hoc judicio uti multa sunt summè vituperanda, ita qvoqve multa laudanda esse & qvæ boni judices imitentur. *Speckhan. cent. 3. class. 3. qu. 3.*
n. 8. §. 10. imò esse qvædam, in qvibus Pilatus, si non defendi, falso excusari possit. Sic (1.) Daniel Maphanaeus *cap. XIII. de sens. Iesu Christi* Pilatum accusat, qvod Phariseos ad accusationem admiseric, qvam in rem duas præpmissim ex Lud. Montaltio & Bened. Carpzovio *Pr. Crim. qu. 104. num. 30. seq.* (qvamvis posteriorem non allegaverit) adducit rationes, primo qvod Pharisei fuerint capitales Christi inimici, & secundò aperti calumniatores, De singulis seorsim.

§. 50. Primo qvod inimicum attinet, certum est, eum neque judicem *l. 9. ff. de hb. caus. c. 41. in fin. extr. de appell.* neqve testimoniem *l. 3. ff. de testibus l. 1. §. 24. ff. de question.* esse posse: de eo igitur tantum qvæstio est, an possit esse accusator in criminalibus? ubi fatendum, expressos quidem esse textus à Maphanaeo allegatos, *c. repellantur, c. meminimus extr. de accus. can. 2. & can. suspicetos, caus. 3. qu. 5.* sed per eos nihil probatur amplius, qvād de Jure Canonico inimicum ab accusatione prohiberi, qvod non mirum videbitur cogitanti, qvam leniter alias secundum Jus Canonicum in causis criminalibus procedatur. Nam ut maximè Ecclesiastica latrocinium, blasphemiam, homicidium, persona commiserit, depositione tantum punitur non alià furtum &c. commiserit, depositione tantum punitur non alià graviori poena. *Magnif. Dn. Zieg. in Jur. Canon. p. 905.* qvid minus ergo, si non indistinctè qvemlibet ad accusationemmittat.

§. 51. At de Jure Civili non legitur inimicus ab accusatione prohibitus *l. 4. & 8. ff. de accus.* Et rationem naturalem prohibitionis haud video, cum inimicus accusatione solè nisi crimen probaverit nihil nocere possit, sed semper in acusatores falso accusantes graviter fuerit observatum. Apud Ethnicos enim impietatis reum agens nec convincens morte mulctabatur. *Pet. Greg. Thol. Synt. Jur. univers. l. 33. c. 10. n. 2. & apud antiquos passim falsi testes falsi acusatores pœna talionis, qvam reo intenderant, puniebantur, qvod vel exemplo duorum Senum Sufannam adulterii accusantium proba.*

probari potest. Hinc inscriptio olim necessaria, & quamvis ea hodie cesseret, debet tamen cautionem praestare accusator, ut, si crimen non probaverit, velit expensas accusato restituere, deque damno ac injuria satisfacere. *P. D. O. artic. 12.* von Verhaftung des Anklagers.

§. 52. Nec obstat sententia nostrorum, quod concessimus §. 50. inimicum non posse esse testem. Qvod enim dicitur, eum qui testis esse nequit, nec accusare posse per can. super prudentiam caus. 14. qu. 2. can. 38. & 39. caus. 2. qu. 7. rursus tantum de jure Canonico procedit, extra quod si accuratius perpendatur, apparebit, magnam esse disparitatem, cum testis plus nocere possit, quam accusator. Illi enim fides habetur a judice ac juxta ejus testimonium sententia dicitur, sed accusator nudam accusatione nullum periculum excita-
re poterit.

§. 53. Concludo ex dictis, excusari posse Pilatum quod Phariseos ad accusationem admiserit, nec obstare eorum inimicitiam, cum ad jus Canonicum non sit examinandus ipsius processus, sed potius ad jus Naturale per §. 23. cui non repugnare accusationem quamvis ab inimico factam §. 51. ostensum. Sed nec deest argumentum, quo de Jure Canonico quoque Pilatus excusari possit. Nimurum Iudei Christum de crimine laesae majestatis coram ipso accusabant, at in hoc crimine admittuntur omnes etiam illi, qui a lias ab accusatione rejiciuntur, non solum Jure Civili l. 7. seq. ff. ad L. Jul. Majest. sed & Canonicō can. 9. c. 3. qu. 9. c. 31. X. de Simonia. c. 7. c. 2. qu. 1. versic. gloriosus vero Tholos. Syntagma. Jur. lib. 35. c. 2. f. 1. ut non videam rationem, cur Bartolus & Hippolitus de Marsiliis citati a B. Carpzov. d. qu. 104. n. 33. negent inimicos in crimine laesae majestatis admitti.

§. 54. Secundum de calumniā argumentum suppeditat Montalius ap. Maphanafum d. cap. 13. Pilatus, inquit, perfidè cognoscet, Iudeos Christum sibi per invidiam tradidisse &c. non ergo debet maculare vitam innocentis per ejusmodi accusatorem. c. dignam. 3. qu. 9. in modo sanctius est, nocentem impunitum relinque-re, quam innocentem condemnare l. absentem ff. de penit. Cum ergo clare constabat, nulla causa nec bono Zelo Iudeos Christum accusasse, sed solum invidiam a motu, que admodum homines rapit, & omne pervertit judicium, ut voluit Anton. de Bu. per illum text. in c. fin. de off. custo. ideo Pilarus non debet tales accusatores admittere.

§. 55. Sed responderi ad hoc potest, nondum esse probatum, qvod Pilato de Judæorum invidiâ ante accusationem & institutam causæ cognitionem confiterit. Nam verba Evangelistæ Matth. XXVII. 18. videntur de eo tempore esse intelligentia, postquam Pilatus Christum jam examinaverat, id qvod nec ipse Montaltius negare videtur. Subjungit enim n. 6. apud Maphan. l.c. qvod Pilatus veram Christi innocentiam & Judeorum perfidiam & calumniam tanquam Judex cognoverit, ut ipsemet attestatus est, dum examinando hujusmodi causam, dicit in Christo se non invenire causam aliquid delicti, & sic ex illo percepit calumniosam Judeorum invidiam.

§. 56. (II.) Idem Montaltius citatus Maphanafo cap. 19. n. 52. accusat Pilatum, qvod dixerit Judæis : accipite eum vos & iudicete juxta legem vestram. Nec debebat, inquit, Pilatus accusatoribus officium judicandi dare, dum dixit : Accipite &c. Fecit enim contrarius, ut patet per text. in cap. multi circa princ. 2. qv. 1. & contra tit. C. ut nemo iuri sibi dicat. Sed ut multa taceam, quæ pro responsione hic afferri possent, & præprimis, falsam hic foveri hypothesis, ac si Pilatus Christum non condemnaverit ipse, sed permiserit factum crucifigi, de quâ infra §. 69. Illud tantum urgeo, fluere hanc accusationem ex malè intellectis Pilati verbis, utpote quæ non serio sed ironice ab ipso prolatæ fuerunt. vid. §. 13.

§. 57. (III.) Alii Pilatum increpant, qvod factâ accusatione nec prius auditis & examinatis testibus, statim Christum interrogaverit, An sit Rex Judæorum? vid. §. 14. quapropter & postea Christum in verbis; an ex teipso hoc quæris &c. dicunt Pilatum officii sui admonere voluisse. Vid. B. Gerhard. Harm. c. 191. p. 1869. Sed loquatur pro me Everh. Speckhan d. Cent. 3. Cl. 3. qv. 3. n. 8 §. 5. Qvod testibus hic res non agitur, causa sine dubio est, qvod senatus Sacerdotum Pilato de rebus cum Christo in judicio ipsorum Ecclesiastico ait, adeoque etiam de testibus, qui contra ipsum producti arque auditi fuerint, prolixè relinquerunt.

§. 58. Ad hæc nihil magis naturale appetit, quâm ut judex factâ accusatione accusatum interroget, an confiteatur crimen, an non? Quamvis enim concedam reo non credi, scilicet si crimen negetur, credi tamen omnino puto si illud affirmet, præprimis si circumstantia id svadeant, & tunc testibus & aliis probationibus ab acto re suppeditandis quid opus? Confessus enim pro convicto habetur?

tur, & effectus q̄vi tribuitur probationi testium, documentorum
apertissimorum & indiciorum indubitatorum, idem etiam tribui-
tur confessioni, ut scilicet ex eā sententiam capitalem iudex pro-
movere possit, reumq̄ ad supplicium condemnare. *B. Carp. Pr. Crim.*
gv. 126. n. 2.

§. 59. Pugnandum nunc paucis cum Dn. Stellero, eq̄; ad ar-
gumenta, quibus Pilatum defendere conatur, respondendum.
Tria autem præcipue ab ipso sunt allata. Primum esse voluit *avvno-*
uias *Judæorum cap. 1.* secundum eorundem consuetudinem *cap. 2.*
tertium nudam Pilati executionem *cap. 3.* Hic in genere prænoto
primum argumentum esse probationem tertii, adeoq; si ab eo sepa-
retur nihil facere ad rem, sed potius Judæos accusare quam Pilatum
defendere. Hinc non peccaturum me putavi, si illius refutationem
cum responsive ad tertium conjungerem. Ne autem planè inta-
ctum caput illud relinqvam, præmittam h. l. breviter enucleatio-
nem durarum hypothesium quas inibi à §. 31. usque ad finem *capitū*
Stellerus exhibet, (nam qvæ prolixè à §. 1. usque ad §. 30. de divisione
jurisdictionis tam secundum Jus Civile quam Saxonicum, deju-
risdictione item Ecclesiasticâ hodierna attulit huc non spectant.)
Prima est: Judæi tulerunt mortis sententiam in Christum à §. 31.
usq; ad §. 67. *Secunda:* Pilatus ipse non condemnavit Christum, sed
tantum permisit Judæis à §. 68. usq; ad finem.

§. 60. Qvod ergo *primam* concernit hypothesis, nego. Ju-
dæos tulisse aut ferre potuisse sententiam capitalem in Christum
(loquor autem de tali sententia qvæ efficaciam & vim juris habet,) siqvidem eo tempore judicia capitalia omnino ipsiis adempta erant,
& penes procuratōrē Cæsaris jus gladii sive vitæ & necis residebat
Scalig. ad *Job. 18. v. 31.* qvod & ipse Stellerus agnoscit *cap. 1. n. 76.* &
c. 2. n. 21. conf. supra §. 48.

§. 61. Distinguendum tamen est inter causas Ecclesiasticas
& Politicas. In Politicis, qvæ scil. ad crimen læsa Majestatis aliter-
ve ad Remp. & imperium pertinebant, ne qvidem cognitionem ha-
bebant, nedium executionem. *Voss. Harm. l. 2. c. 5. §. 32. p. 241.* cum
politicus ipsorum status planè fuerit immutatus, *Steller. c. 1. n. 44.*
At in causis Ecclesiasticis religionem & Legem Mosaicam concer-
nentibus, qvalis erat blasphemia, potestas qvidem cognoscendi
ipsiis erat relicta juxta legem diuinam, & inde iudicium ferendi
Voss.

Voss. d. l. §. 31. qvin & si crimen infra capitale esset minore quādam
coercitione, ut fustigatione, delinquentem punire poterant *Ad. V.*
40. XVI. 22. II. Cor. XI. 24. & 25. Gerh. Harm. c. 190. p. 1843. Grot. ad Job.
XVIII. 31. sed in causis, quā mortem merebantur, in potestate erat
Præsidis Rōmani, ut vel Judæorum judicium sequeretur, vel mitio-
ri poenâ reum afficeret, vel etiam prorsus absolveret. *Voss. d. l.*

§. 62. Congruit dictis quām maximè locus *Matth. X. 17. seq.*
& probatur communiter hæc opinio ex Rabbi Mose de Kotfi *lib.*
præcept. 188. 3. qui dicit: *40. annis ante destructionem templi secundi* (&
ita duobus annis ante passionem Christi) *migravit Synedrium ē loco*
suo, quia multiplicitati fuerunt sicarii & abolita iudæica animarum ex Israël.
vid. Drus. in Job. XVIII. 31. Gerh. Harm. c. 190. p. 1843. Verum do-
ctissimus Seldenus de *Synedr. Hebr. I. 2. c. 15. §. 11. p. 634. seq.* istum
Rabbi Mose locum non de ablatione juris, sed de nuda saltē in-
termissione vult intelligi. Qvicqvid hujus sit, satis probari senten-
tiam nostram puto ex clarâ & perspicuâ satis ipsorummet Judæo-
rum confessione, dum ad Pilatum dicunt ipsis non licere quen-
quam interficere *vid. §. 13.* qvod dictum cum latius deductum sit à
B. Gerhardo & à contrariis opinionibus jam vindicatu*c. 191. Harm.*
p. 1866. nolo hic actum agere, præcipue cum ipse Stellerus *cap. 1. n. 46.*
fateatur, tempore passionis Christi non penitus quidem ablatam
fuisse potestatem Ecclesiasticam, sed tamen in tantum fuisse restri-
ctam, ut *sanguinis iudicium à Judeis fuerit ablatum.*

§. 63. Objicitur à viris quibusdam eruditis pro potestate Ju-
dæorum circa iudicia capitalia in causis Ecclesiasticis exemplum
Stephani, quem constat à Judæis non solum condemnatum, sed &
occisum fuisse *vid. Clar. ad Job. XVIII. 31. Voss. Harm. I. 2. c. 5. §. 32.*
qvin & ipsius Christi quem Judæi jam sapientiam etiam citra conser-
vare & ipsius lapidare & trucidare voluerant. *Voss. d. l.* Sed Resp si qvi a-
liquo modo à Judæis circa id tempus leguntur interfici, id factum es-
se motu populari, cœco plebis furore atque impetu. *Grot. ad Job.*
XVIII. 31. Gerh. d. l. c. 190. p. 1843.

§. 64. Ulterius qvoad sententiam in Christum latam obji-
cit Stellerus *cap. 1. n. 67.* locum *Matth. XXVI. 66. & Marc. XIV. 64.*
ubi dicitur Judæos condemnavisse Christum, qvod sit reus mortis.
vid. supra §. 11. ex quo clarissimè probari putat sententiam mortis à
Judæis & neutriq; Pontio Pilato latam fuisse, & hoc ipsum eo

certius exinde patere dicit c. 3. n. 47. 48. qvoniām Judices Hebræi
in iudiciis capitalibus pronunciaverint p̄f̄atam formulam exem-
plo Nathanis &c.

§. 65. Respondeat pro me Grotius ad d. l. Matth. XXVI. 66.
cujus verba ob rationem §. seq dicendam integra lubet apponere:
Sic autem inquit ἔνοχος Ιακώπεις ut II. Sam. XII. 5. Ita
pronunciare solebant Judices Hebrei dum caput alia iudicia penes ipsos erant.
Ablatis capitalibus iudicis, quod post confiscatā ab Augusto Judeam factum
est (nam ante a Herodis beneficio manserat aliqua iudiciorum species) quan-
quam cum effectu sententiam proferre non poterant, veterem tamen formulam
retinebant, cuius ea via erat, ut, de quo ita pronunciatum esset, is apud
Iudeos omnes morte dignus, i. e. sacer atque insestabilis haberetur; in eum
denique nihil esset illicitum. Quo prejudicio sepe populus concitatus per vim
ac tumultum penas expetivit, quangvra Romanis legibus id facere vetab-
tur. Pertinebat autem hoc τοῦ Κριτικοῦ in Jesum ē, ut scil. Senatores Iudei
possent salvā religione Jesum accusare apud profanum Judicem, ejusq; sup-
plicium flagitare, velut qui nullā amplius necessitudine illos attingeret, &
omnia homini Iudei τοῦ Κριτικοῦ amisiſſet.

§. 66. Porro exemplum Nathanis quod hīc à Stellero ad-
ducitur, ad rem præsentem nihil plane conductit. Nathan enim
ibi neque Judge Hebreus fuit, neque judicium capitale in Da-
videm exercuit, sed tanq; propheta poenam divinam ipsi an-
nunciavit, imò sententiam ab ipso Davide dictam saltem ad ipsum
applicui. Videtur autem Stellerus in allegationem exempli
Nathanis perdixt ex aliter intellecto Grotii loco §. ante. de-
scripto. (qvem ante oculos ipsum habuisse conferenti cum eo ver-
ba d. c. 3. n. 47. 48. 49. apparebit) Cum enim videret, mentionem
ibi fieri loci II. Sam. XII. v. 5. putavit forte eum pertinere ad ver-
ba proximè sequentia. Ita pronunciare &c. cum tamen haud dubie
Grotius eum in finem saltem adduxerit, ut parallelum locum
Hebraicum phrasē Græcæ respondentem apponere. Sed hæc
obiter.

§. 67. Regerit Stellerus d. c. 3. n. 49. 50. 52. sufficere sibi
τοῦ Κριτικοῦ ad stabiliendam Iudæorum qvalemq; valem αὐτούς φασι
&c. Sed Resp. aliqualem αὐτούς τινq; ipsiſ nunq; fuisse denega-
tam vid. §. 61. at hanc non sufficere ad probandam condemnatio-
nem

nem Christi à Judæis factam, qvæ talem haberet vim ut non amplius novâ Pilati sententiâ opus foret.

§. 68. Nec est, ut dicat aliquis cum Stellero cap. 1. n. 82. sententiam Judæorum ideo approbatione Pilati indiguisse, qvod ea crucifixionem apportaverit, pœnæ genus non Ebraicum sed Romanum: Negamus enim, qvod ipse ut indubitatum præsupponit. Judæorum sententiam apportavisse crucifixionem. Certum potius est, eam qvia propter imputatum blasphemiarum crimen facta fuit per. §. 11. si aliquem effectum habuisset, lapidationem apportare debuisse, siquidem blasphemari jure Hebraico lapidabantur. Levit. XXIV. 16, Selden. de Synedr. Hebr. lib. II. c. 13. §. 5. conf. Drus. ad Job. XIX. 7.

§. 69. In secundâ hypothesis (vid. §. 59.) qvamvis Stellerus Laetantium aliosque pro suâ opinione adducat, possent tamen, si non rationibus sed autoritatibus pugnandum esset, qvamplurimi patrum contrarium statuentes produci. Vid. Maphan. c. 20. Sed urgent in alteram partem gravissima causæ qvæ Pilatum sententia capitalis autorem faciunt, qvas congeserunt Grot. ad Matth. XXVII. 26. Gerb. Harm. c. 195. p. 1932. Voss. Harm. l. 2. c. 5. §. 42. inter- que eas præcipue sunt 1. qvod Pilatus dicatur in tribunali se- disse Job. XIX. v. 13. in loco sc̄e, ubi judices judicandi causâ con- fidere solebant Act. XIII. 12. XXV. 6. 2. Lucas XXIII. 24. ex- presse dicit: adjudicasse Pilatum. 3. Executio etiam per mil- ites Romanos facta, qvibus non fuisset opus, si saltem Pilatus Ju- dæorum sententiam approbabisset, qvia & ipsi suos ministros ad- huc habebant, nec in lapidatione Stephani, qvem sine consensu Præsidis interfecerant, milites Romani leguntur adfuisse.

§. 70. Deinde & circumstantiæ ex historiâ Passionis per- spicue docent, necesse omnino fuisse, ut Pilatus sententiam dice- ret. Nam Judæi Christum coram ipso ut seditionum accusabant vid. §. 14. sedition autem causa civilis erat, in qvâ cognitionem nul- lam habebant per. §. 61. Pilatus itaque priorem Judæorum con- demnationem ob blasphemiam factam approbare non poterat, cum de eâ coram ipso Christum non accusassent, sed opus omni- no erat, ut novam sententiam diceret, in qvâ Christus ut seditionis vel ex inscriptione crucis (J. N. R. J.) appareret, qvam Judæi ne- D 3 mu-

mutare quidem poterant, tantum abest ut ipsi sententiam dixerint. Qualis autem præcisè fuerit sententia Pilatus, cum id expressum non sit, certò determinari haud potest. Inter eas vero, quas Stellerus ex variis autoribus refert cap. 1. n. 68. seq. Lutheri, utpote quæ cum inscriptione crucis quam maximè congruit, videtur accommodatissima.

§. 71. Levia fuit, quæ Stellerus in hâc materiâ objicit, Ad argumentum 1. à tribunali petitum respondet cap. 1. n. 85. Non sequitur, quotiesc. quis sedet pro tribunali, toties & sententiam fert de aliquo. Ita est: Sed fortasse illud sequitur: Judex cognitâ causa pro tribunali, ubi sententiaz solent pronunciari, sedet, ergo probabiliter sententiam est dicturus.

§. 72. 2. Vocabulum ἐπικρίνειν, quo Lucas utitur interpretatur per approbat c. 1. n. 86. post judicavit, vel confirmavit. c. 3. n. 59. Sed cum cuivis Græca interpretanti abs ratione credendum non sit, fidem potius habeo Pasori, qui ἐπικρίνω idem dicit significare ac simplex κρίνω, judico, & Grotio ad Luc. XXIII. 24. Ἐπικρίνειν nihil hic est aliud, quam judicando decernere. Ita: Γέναν ἐπικρίνειν dixit scriptor II. Masicab. IV. 48. Qvod autem verba sequentia attinet, quæ Stellerus urget c. 3. n. 60. Υποδειγμα τὸ αἰτημα εὑρῶν, illa vel causam exprimunt, quæ Pilatum movit, ut crucis peccatum Christo irrogari præcipiteret Gerb. c. 195. Harm. p. 1932, vel modum atque contenta sententiaz. Volebant nempe Iudei, ut Pilatus Christum tanquam seditiosum ad crucem condemnaret.

§. 73. 3. Qvod per milites solum Romanos exactum fuerit supplicium, Stellerus c. 3. n. 73, ideò factum dicit, qvod Iudei non habuerint executionem, sed solam causæ cognitionem & decisionem. Verum, qvod nec Decisionem habuerint, probatum suprà §. 60. seq. & præterea fateor argumentum hoc illustrans potius esse, quam probans, adeoq; à reliquis non erit separandum.

§. 74. Refutatis ita breviter Stelleri hypothesibus cap. 1. progrédior jam ad ipsa argumenta. Primi summa ex cap. 2. n. ult. hâc est. Quicunque iudex facit iuxta consuetudinem rationabilem, ille non peccat. Atqui Pilatus condemnando Christum. &c. E. &c.

§. 75. De veritate majoris propositionis item ipsi non movebo. Nam effectus præcipius consuetudinis ille est, ut instar legis scriptæ efficaciter obliget, quapropter & ipsa in imperando, ve-

tando, permittendo & puniendo consistit l.7. ff. de Legib. ac præter modum ferendi, seu signum sensibile, quo voluntas legislatoris explicatur à lege scriptā nihil prorsus differt. *Franz. ad tit. de legib. n. 123. Rauchb. P. I. qu. 36. n. 6.* Proinde consuetudines omnes, quærationi & naturali juri non repugnant in judiciis accurate at-tendi & observari debent aut. *Jubemus C. de iudic. cap. 3. extr. de eo qui mitt. in pess. caus. rei serv. adeo, ut iudex contrà consuetudinem receptam judicans item suam perinde faciat, acsi contra ius com-mune pronunciaisset. Andr. Gail. lib. 1. obf. 36. n. 12.*

§. 76. Probè tamen observandum, neceſſe omnino eſſe ut consuetudo sit rationabilis arg. l. 14. & l. 38. ff. de LL. vid. *Ludv. Exerc. 1. th. 14. lit. c. cum nullum ius civile, sive scriptum, sive non scriptum juri divino aut naturæ refragari debeat. Id ipsum vult Ordin. Cam. alleg. Stell. c. 2. n. 49. verb. auff redliche/ erbare Geivenheiten. Consuetudo itaq; juri divino, naturali, aut gentium contradicens non ſequenda eſt, neque talis consuetudo propriè dicitur, sed u-ſurpatio. Flam. Chartar. Decis. exec. 21. n. 43. eaqve nullo temporis ſpatio quantumvis diuturno confirmatur l. 39. ff. de LL. Nov. 134. c. 1. Qvamvis autem Stellerus non præcisè rationabilitatem in-ſuetudine requirere videatur c. 2. n. 13. 18. 44. contrarium ta-men doceat n. ult. d. c. 2. ubi expreſſe dicit, Pilatum venire excu-fandum qvia rationem præ ſe tulerit consuetudo.*

§. 77. In minore propositione argumenti duo confide-randa veniunt (1) an consuetudo Judæorum fiterit rationabilis? (2) an Pilatus condemnando Christum fecerit secundum conve-tudinem. Utrumq; nego. Et prius qvidem ipſe Stellerus vide-tur agnoscere n. 39. ubi dicit, Judæos famoſo prædoni libertatem qvæſivisse contra Legem Dei. Si autem contra legem Dei hæc conve-tudo fuit, qvomodo rationem qvandam præ ſe ferrepotuit. In deli-cetis enim, qvæ lex divina morte puniri jubet, veluti eſt homici-dium, adulterium, blasphemia, sacrilegium, sodomia, ne qvidem siamus princeps aut magistratus qvivis superior mortis suppli-cium absque cauſa ſufficiente remittere potest. *B. Carpzov. Pr. Cr. 90. 150. n. 29.*

§. 78. Qvamvis verò alii non necessarium putent, ut ſemper in omnibus Rebus p. illa delictis poena imponatur, qvæ lege divinâ exprimitur, cum lex iſta civilis Judæorum fuerit, in qvâ qvæ ad-jecta

jectæ erant penæ ex genio istius populi ac Reip. per positivam Dei dispositionem fuerint determinatae, in eo tamen, qvod sciam, consentiunt omnes, qvod homicidæ ubique capitaliter sint puniendi.

§. 79. Etenim Noachus cum angustâ familiâ è diluvio servatus, alterque quasi humani generis parentes jure universalis di-vino omnes homines obligaturo fuit obstrictus de fugiendo homicidio eâ interminatione, si quis contra faxit, ut capital esset. Gen. IX. 6. Ut adeò non immertor hæc lex de supplicio ultimo Juri N. non quidem propter originem & omnimodam ac absolutam necessitatem, sed ob universalem vim divini interdicti, & qviparanda sit.

§. 80. Neqve deest planè naturalis ratio. Cujus enim tanta est malitia, ut sanguinem humanum effundere ex deliberato confilio non vereatur, ab illo cæteris hominibus non potest satis caveri, nisi idem vitâ exturbetur. vid. J. Fr. Horn. de civiti. I. 2. c. 2. §. 10. Dn. Pufend. Elem. Jurispr. II. iv. l. 1. def. 21. §. 9. & do. J. N. & G. I. 8. c. 3. §. 26. conf. H. Grot. de J. B. & P. I. 1. c. 2. §. 5. ubique Dn. Ziegel.

§. 81. Ex his infero, consuetudinem Judæorum. paschatos festo qualem delinqventem, et si nequissimus homicida fuerit (ut Barrabas) liberantium sanâ ac solidâ ratione fuisse planè destitutam, & hic merito locum habere, qvod dicitur Prov. XVII. 15. *Qui justificat impium & qui condemnari justum, abominabilis est uerque apud Deum.*

§. 82. Sed ponamus, consuetudinem istam omnia consuetudinis legitimæ requisita habuisse, an ergo (qvod posterius adsumti in argomento Stelleri membrum est) Pilatus condemnando Christo juxta eam fecit? Non puto, nisi quis forte à nocentis dimissione ad innocui condemnationem concludere velit. Et quomodo quæso Pilatus consuetudine illâ excusari poterit, cum ea tantum requisiverit ut delinqvens dimitteretur? Sed nolo tempus perdere, siquidem quivis statim videt, quām sit hoc à baculo ad angulum argumentari.

§. 83. Cæterum, qvando prædicta consuetudo incepit, qvive ejus autores fuerint, prolixè definire mei instituti ratio non patitur, cum necqviequam id ad rem præsentem conducat. vid. interim Gerh. Harm. c. 193. p. 1890. Vgl. Harm. I. 2. c. 5. §. 3. 4. 5. & omnino Grot. ad Matth. XXVII. 15, qvem hic iterum Stellerus c. 2. n. 28. -- 37. in-

infelicitè secutus est. Non probabile profectò, qvod n. 35. Caiphæ consuetudinis illius autorem facit; idque ex Joh. XI. 50. probare conatur. Apponam tantum verba Evangelistæ, quia talia vel narrando refutantur. *Unus autem ex ipsis, (inquit Johanes,) Caiphas nomine cum esset pontifex anni illius, dixit eis: 'Vos nescitis quicquam, nec perpenditis, quod expedit nobis, ut unus homo morietur pro populo, ad non tota gens pereat.* Jam ex his verbis fiat Syllogismus, cuius conclusio sit ista: E. Caiphas est autor consuetudinis, quâ diffissi sunt delinquentes.

§. 84. Sed pergo ad cap. 3. Stelleri, ex cujus inscriptione & n. 1. usque ad 91. tale fortasse necti poterit argumentum. *Quic. est nudus executor sententie capitalis ab alia late, i.e. exequendo eam sententianam non peccat. Atque Pilatus &c. E.*

§. 85. Majorem probatione fortè non indigere putavit Stelerus, sed sufficere, si solum in inscriptione assiceret, tertium caput defensii Pilati esse nudam executionem. Verum qvod non ita universaliter vera sit, facillimè sequenti modo demonstrari potest. Executio, quæ nihil aliud est, quam rei judicatae persecutio, ratione objecti sive causarum quæ executioni mandantur non in commode dividì poterit in cibilem, de quâ t. t. C. de exec. rei judic. & criminalem. Nuda autem dicitur executio, quatenus cognitioni ac dijudicationi causa contradistinguitur. Hinc in cibilibus merus executor est nuncius publicus, qui rei judicatae vel instrumenti executibilis vigorem ex præcepto judicis ad effectum perducit l. pen. C. de exec. rei jud. Col. Proc. Execut. P. 2 c. 1. n. 4. At in criminalibus, de quibus maximè hic sum sollicitus, nudi executo-ris nomen propriè competit carnifici.

§. 86. In hoc autem, si à peccato abstinere velit, multa requirit Hugo Grotius de J. B. I. 2. c. 26. §. 4. sed. 9. Vult nimirum, ut ei, vel qvod quæstioni & actis interfuerit vel ex rei confessione cognita esse debere causa merita, ut satis ei constet, mortem à reo esse commeritam. Sed rectius id ipsum negat cum B. Gerh. Magn. Dn. Ziegli, in nov. ad d. I. Grotii in dictast. concl. 35. §. 20. quia carnifex discutere & examinare sententiam non tenetur. Non igitur peccabit, sicuti jesus morti adjudicatum occiderit, quia tū obseqvitur superiori, & quia in dubio factum judicis semper justum & rectum præsumitur l. 44. ff. damn. infest. l. 6. §. 3.

E

verb.

verb. qui iussu ff. de his qui no[n]antur infam. Si tamen manifestè cognitum habeat carnifex, innocentem esse eum, qvem occidere iussus est, parere haudqvaquam debet, sed id potius agere teneatur, qvanticum fieri potest, ut liberetur ille & salvus evadat. Nec aliud probant exempla de ministris Saulis &c. à Grotio in *notis ad d. l.* adducta.

§. 87. Fieri tamen potest ut etiam judex fiat merus executor in causa capitali, si np. magistratus superior executionem mandet judici inferiori, non quidem quatenuis judex est, sed quatenuis inferior. Et tunc etsi judex iste dubitet, nocens nefit is qui accusatus est, an minus, exeqvendo tamen sententiam non peccat. Qyamvis enim dubitante conscientiâ alias nihil debeat fieri, in materiâ tamen singulari id qvod præticè certum est, præferendum est incerto speculativè. *Dn. Zieg. d. concil. 35. s. 19.* At si certò noverit talis executor, reum esse innocentem, placet opinio Coleri de processu exec. p. 4. c. 1. n. 134. eum debere potius officium suum resignare, qvâm facere injusitiam, cum Deo magis sit obediendum qvâm hominibus.

§. 88. Vacillat itaqve major argumenti Stelleriani in excutore innocentiam rei certò cognitam habente, & si absque limitatione istâ intelligatur, non procedit. Ergo si maximè concedamus, Pilatum merum fuisse executorem, nec ipsum mortis sententiam in Christum tulisse, nihilo tamen minus enormiter peccavisset, cum tot vicibus publicè innocentiam Salvatoris fuerit professus.

§. 89. Sed non opus est, ut eò descendamus, falsissimum quippe est, qvod in minore dicitur Pilatum merum fuisse executorem. Adducit eqvidem Stellerus ad probationem sententia suz historiam passionis n. 15. seq. qvin & novum argumentum ab elaboratione crucis petitum proponit n. 91. Verum qvâm mutilè historiam adduxerit, notatum supra est §. 7. 8. 9. 10. 14. ac præterea perspicue ostensum capitalem sententiam non à Judæis sed Pilato in Christum prolatam fuisse à §. 60. uig. ad 73. Illud vero de cruci elaboratione argumentum tanti non est, ut in prolixa ejus refutatione tempus impendam. Fecit id peculiari capite 25. Maphanafus, qui videri potest.

§. 90.

§. 90. Unicum tantum subjiciam argumentum & quidem ex verbis ipsius Stelleri, ut ostendam quam finistre Pilatus merus executor appelletur. Qvicung, enim (1.) fuit superior Iudeis & (2.) inquisivit, is non fuit executor nuda sententia à Iudeis lata. (Nam quod prius concernit; iste casus concipi commode non potest quo inferior judex cognoverit & dijudicaverit causam, superiori vero iudici nuda executio fuerit relicta. De posteriori autem nullum est dubium, quia nuda executio cognitioni causa five inquisitioni contradistinguitur. vid. §. 85.) Sed Pilatus (1.) superior fuit Iudeis (Stell. c. 3. n. 58.) (2.) inquisivit in causâ Christi (cap. 1. n. 85. & c. 3. n. 57. 64. 66. 68. cons. supra §. 13.) Ergo &c.

§. 91. Subjungit Stellerus in cap. 3. à n. 93. usq; ad n. 100. evolutionem quæstionis, an judex secundum acta & probata, an vero secundum conscientiam judicare debeat, eamq; in n. 100. ita finit. Nos affirmamus, judicem ad strictum esse ad judicandum secundum allegata & probata -- Etsa, in veritate tamen prejudicium non concessimus, quod Pilatus iudicaverit de Christo, sententiamq; protulerit, eo ipso ac summus Pontifex, reiwigq; in Sanhedrim sedentes probant suisse blasphemum, venit excusandus.

§. 92. Sed verior videtur sententia statuentium, judicem secundum conscientiam, aut, accuratius loquendo, scientiam propriam judicare debere. vid. Magn. Dn. Zieg. dicas. concl. 35. ubi perspicue illud deduxit, & ad argumenta Covarruviz principui contrariæ opinionis patroni aliorumque solidissimè respondit. Et esto iudicet judex juxta acta & probata, nihil hoc pro excusando Pilato faciet. Nullum enim Christo crimen à Iudeis probatum, sed potius vanis clamoribus metuque injecto sententia à Pilato extorta. De blasphemiam vero nihil planè coram Pilato, nisi incidenter actum vid. §. 14. & 19.

§. 93. Incongruè autem à Stellero adducitur lex 11. ff. de J. & J. de pratore iniquè jus reddente, cum lex ista non de moralitate intrinsecâ, sed effectu & vigore externo sit intelligenda. vid. Grot. de J. B. l. 1. c. 4. §. 3. Bacchov. in newt. p. 17.

§. 94. Concludit suam defensionem Dn. Stellerus his verbis: Restat & caput defensi Pilati divina voluntas. Sed ne falcam in alienâ misera misisse videamur filium abrumpimus. Vult nempe Pilatum excusare

AB

cusare qvod voluntatem divinam adimpleverit. Cajanis hâc in par-
te non dissimilis aut Cainæs , uti à Tertulliano & Irenæo vocan-
tur, antiquis hæreticis Judam proditorem non solum defendantibus,
sed & admirabilem illum & magnum esse memorantibus
propter utilitates, quas humano generi proditione contulerit. cum
animadverteret, Christum velle veritatem subvertere &c. vid. Vess.
Harm. l. 2. c. 3. §. 37. Pari ratione omnes Judæorum ac militum il-
lusiones & contumeliz , quas tamen nemo unquam Christiano-
rum non execratus est, excusari possent, eum & illæ à Prophetis in
verbô divino fuerint prædictæ. Sed nec ego volo falcam in messem
Dnn. Theologorum mittere. Quid autem ad dicta à Stellero al-
lata respondendum sit, docebunt commentatores. Consuli inte-
rim meretur *B. Gerhard. Harm. c. 195. p. 1922. & cap. 212. p. 2177.*

§. 95. Nihil nunc restat, qvam ut gratias agam D E O
T. O. M. pro concessis viribus, Lectoremque Benevolum rogem,
ut, si alicubi lapsus fuero, id humanitate suâ meique ingenui te-
nuitate excusare velit. Errare humanum est. Itaque
cum homo sim, humani à me nihil alienum
arbitror..

F I N I S.



ULB Halle
005 803 373

3



1077

Farbkarte #13



B.I.G.

Pra. 36 num. 17

1675, 16^a

18

BRIDICAM
IRIDICA
O
ILATI
IO,
ico JCtorum

E
IA MOEBIO,
alis ac Ducalis
dinario,
e Fautore
ndo,

HOMASIUS,
M.

LXXV.

ORGI.

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE